

Perquam Eximio & Humanissimo

DOMINO

SEBASTIANO von SALLERN,

Disputationis præsentis Auctori, Amico suo
& Fautori multum honorando,

S.P.D. PRÆSES.

Cum ingenium hætenus doctrina sacra & seculari formas-
ses, mores etiam non tantum ad honestatem, sed pieta-
tem; scripto quodam, quid in sacro studio possis, decla-
raturus, congruum sane argumentum selegisti, Formationem
Christi in nobis. Hoc enim omnino omnium primum est,
quod nos, Deo ipso iudice, formosos facit. Cætera longissi-
mo intervallo subsidunt. Istius autem negotii tractatione cum
docte pium, tum pie doctum, videre licet. Neque enim vel o-
pus est, vel excusabile, si neglectis aut conculcatis, quæ ad παι-
δείαν Academicam, & partim ad Exegesin Scripturæ regulis Her-
menevticis innitentem, partim ad rei substratæ indolem analyticæ
considerandam pertinent, ipsoque verbo Scripturæ & meditatio-
ne ejus sepositis, formatum iri in nobis Christum putemus, modo
in silentium quoddam & cessationem omnium cogitationum conceda-
mus, substantialem formam novam, quæ sit Christus in nobis, re-
cepturi, ipso se immediate nobis insinuante, ac sensum sui largi-
ente. Relinquamus ea hominibus otiosis, Enthusiasmum affe-
ctantibus, ac perseveremus in his, quæ veris Mysteriis cognoscen-
dis, ac nihilominus spirituali sensu & experientia percipiendis,
serviunt. Sic etiam Tibi, Amice per dilectæ, de cultura Theolo-
giæ secundum παιδείαν lubens meritoque gratulor, & ut Ecclesiæ
Dei posthac, ex divina vocatione & gratia, fructum egregium
præstes, tota animi mente precor. Vale. Scrib. ipsis Calendis

Maji A. C. CIO IOCXCIV.